

**De cicatricibus externis : dissertatio inauguralis pathologico-diagnostica quam ex autoritate atque consensu gratiosi medicorum ordinis in alma Universitate Regia Fridericia Guilelmia Rhenana ad doctoris medicinae et chirurgiae gradum rite assequendum scripsit et die VII kal. Apriles anni MDCCCXXXVI / publice defendet Antonius Hecking ; opponentibus Ios. Iack, Franc. Rheins, Aloys. Schmitz.**

### **Contributors**

Hecking, Anton, 1807-  
Royal College of Surgeons of England

### **Publication/Creation**

Bonnae : Typis Caroli Georgii, [1836]

### **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/fcm64pgg>

### **Provider**

Royal College of Surgeons

### **License and attribution**

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome  
collection**

Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

75 R12  
248  
3  
D E  
C I C A T R I C I B U S E X T E R N I S .

DISSERTATIO INAUGURALIS  
PATHOLOGICO - DIAGNOSTICA

QUAM

EX AUTORITATE ATQUE CONSENSU GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS  
IN ALMA UNIVERSITATE REGIA FRIDERICIA GUILIELMIA RHENANA

AD

DOCTORIS MEDICINAE ET CHIRURGIAE

GRADUM RITE ASSEQUENDUM

SCRIPSIT ET DIE VII KAL. APRILES ANNI MDCCCXXXVI.

PUBLICICE DEFENDET

ANTONIUS HECKING

RHENANO - BORUSSUS.

OPPONENT

IOS. IACK, MED. ET CHIR. CAND.

FRANC. RHEINS, MED. - CHIR. CAND.

ALOYS. SCHMITZ, MED. ET CHIR. DR.

BONNAE

TYPIS CAROLI GEORGII.

DE  
CICATRIBUS EXTERNIS

DISSERTATIO INAUGURALIS  
PATHOLOGICO-DIAGNOSTICA

DE

EX AUTORITATE ATQUE CONSENSU GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS  
IN ALMA UNIVERSITATE REGIA FRIDERICIA GUILLIAMA BONAENSI

AD

Ars medica tota observationibus.  
Frid. Hoffmann.

GRADUM RITE ASSEQUENTEM

SCRIPSIT ET DIE VII KAL. APRILIS ANNI MDCCCXXVI

PUBLICE DEFENDET

ANTONIUS HECKING

ALMA MATER BONAENSIS

OPPONENT

FRANZ RITTEL, Med. - chir. Doct.  
ALDUS SCHMIDT, Med. et Chir. Doct.  
FRANZ RITTEL, Med. - chir. Doct.

BONNAE

TIPIIS CAROLI GEORGI

VIRIS ILLUSTRISSIMIS

**FRIDERICO NASSE**

MED. CHIR. ET PHILOSOPH. DOCTORI, REI MEDICAE CONSILIARIO INTIMO, PROF. PUBL. ORDIN.  
MODERATORI CLINICI MED. BONNENSIS, SOC. LITT. COMPL. SOD. EQUITI ETC. ETC.

**CAR. GUILIELMO WUTZER**

MED. ET CHIR. DOCTORI, PROF. PUBLICO ORDINARIO, DIRECTORI CLINICI CHIRURGICI BONNENSIS,  
SOCIETAT. LITT. PLUR. SOD. ETC.

PRAECEPTORIBUS SUMME VENERANDIS

**FRANCISCO HECKING**

PASTORI PRIMARIO URBS SAARAE LUDOVICIANAE, DECANO ATQUE SCHOLARUM INSPECTORI

FRATRI CARISSIMO

D. D. D.

insigniorem propriamque cicatricum diversarum, pertinentis collegi; id, allatis, quae apud autores nostrates parce et sparsim tractata inveni, hoc in libello explicare conatus fui, quem pro materiei difficultate proque scriptoris novitate aequis commendo iudicibus.

Caeterum tacita pertentant animum gaudia, quod pro aliquo saltem gratitudinis testimonio fas mihi, hisce pagellis nomina inscribere virorum, quos sive reverentia, sive laude, pietateve aeternum prosequar.

## PARS GENERALIS.

### §. 1.

Sub nomine *cicatricis* <sup>1)</sup> illa massa *nova* intelligitur, quae inflammatione orta partes corporis aut ulcere aut vulnere antea *destructas*, aut solummodo *divisas supplet* aut denuo *coniungit*. At secundum hanc definitionem etiam omnes indurationes ad cicatrices pertinere videantur. Ipse quoque Lallemand <sup>2)</sup> vir cl. qui eandem fere cicatricis definitionem adfert, se nullum posse invenire discrimen secundum veram cicatricis definitionem inter cicatrices et indurationes fatetur.

1) In statuendo etymo huius verbi viri linguam latinam docti dissentiunt; quum alii a *coecando* derivandum, alii a verbo *κικέρειν* (vigere) censeant. Sententia prior non propius intuenti satis arridet, nam ut apud Virgilium: *coecae fores* audiunt, quae visui non sunt perviae; ita vulnus abscondere coecatrix non inepte potest videri. Attamen hanc opinionem futilem esse vel ex eo patet, quod prima vocabuli syllaba corripitur:

“ - - - - - laculo mihi vulnera fecit;  
Signa vides: apparet adhuc vetus, ecce, cicatrix.”

Ovid. Met. l. XII. v. CDXLIV.

Alteram sententiam, quia argumentum, quo nitatur, ne fingi quidem potest, refutatione non dignor. Eorum probabilior est opinio, qui hanc vocem cognatam existimant substantivo *κικός*, quod *putamen*, *siliqua*, *membrana* interpretantur. Haud dubie *cicare* verbum exstitit; quod ultima syllaba non nisi in mobilibus quae vocantur nominibus reperta, testatur. Quam si amplexi fuerimus false *coecatrix* scribi, et vere *cicatrix* dici, quoniam vulnus aut ulcus obductum teneat, arbitrabimur, et eo magis si apud eundem poetam lib. c. v. DXLII. legimus:

„ . . . quid me meminisse malorum  
cogis et obductos annis rescindere luctus.”

2) Recherches anatomico pathologiques sur l'encephale et ses dependances, par F. Lallemand. Lettre 6me Paris 1850. pag. 566.

Iam vero si verba definitionis nostrae stricte sequimur, discrimen aderit: nam in unaquaque parte, quae indurescit, omnes partes primitivae, quae partem induratum constituunt, remanent illaesae, sola vasorum actione perturbata; ita ut fluida resorptioni haud apta secernantur. Sequitur ergo, partes quamdiu manent illaesae, non existere cicatricem. Cum autem fluida tanta vi et copia secernuntur, ut dirumpantur partes, tum cicatrix fieri potest: sic post haemorrhagias in cerebro cicatrices oriri possunt.<sup>3)</sup> Eodem fere modo ex nimia tensione abdominis, graviditate aut ascite gravi oriunda, adeo distenduntur muscoli et corium abdominis, ut partim dirumpantur; quo in spatio fesso nova dein exsudatur lympa, quam vocant plasticam<sup>4)</sup>; quae in uniuscuiusque prolem iam enixae mulieris abdomine extans rugae gravidarum adhuc false dictae rem proprius intuenti verae cicatrices appareant, necesse est.

Vulgo autem sub voce cicatricis intelligitur vestigium ex vulnere aut ulcere progrediens sanato κατ' ἐξόχην in cute remanens. At hae cicatrices non solummodo sunt vestigia externa, sed, quod inferius planum faciam, textura quoque formantur omnino nova saepius solummodo fibrosa ex parte maiore minorive corii destructa prodeunte. Habemus igitur cicatrices varias, prout scilicet partes vel organa corporis diversa laesa existunt, quales sunt cicatrices cutis, membranae corneae, musculorum, tendinum, vasorum, nervorum, ossium (quem callum vocamus), cerebri, pulmonum, hepatis, renum etc. etc.

Ex hisce omnibus cicatricibus saepissime occurrunt, quae in cute externa reperiuntur magnique sunt momenti<sup>5)</sup>. Quae autem in cicatricibus hisce describendis sunt respicienda, haec clar. Eichhorn<sup>6)</sup> collegit et formulam quandam

3) Universallexicon der praktischen Medizin und Chirurgie von Andral, Begin, Blandin etc. etc. Frei bearbeitet von mehreren deutschen Aerzten, Artikel Apoplexia, S. 81 ff.

4) c. f. cicatr. gravid. descript.

5) L'étude des cicatrices des tegumens externes offre plus d'intérêt que celle des membranes muqueuses. Celles-ci prennent plus vite l'aspect de ces membranes et sont par cela même moins apparentes que les cicatrices de la peau. Elles sont aussi, comme le tissu primitif qu'elles représentent moins complexes que celles des tegumens externes. Dans celle-ci, le derme et l'épiderme sont de tous les éléments ceux, qui sont le plus vite reproduits. Le pigment ne se dépose que beaucoup plus tard et les follicules sébacés et pileux ne se reproduisent presque jamais. Beaucoup de cicatrices offrent des caractères particuliers dont la connaissance complète celle des alterations qui les produisent. P. Rayer: Traité théorique et pratique des maladies de la peau. Bruxelles 1830. pag. 659.

6) Handbuch über die Behandlung und Verhütung der contagiös fieberhaften Exantheme etc. von Dr. Heinr. Eichhorn 1831. Definit. p. XX.

delineavit, quo facto nobis studium cicatricum quasi commendat. Ne in cicatricibus postea describendis eadem verba cum longa explicatione saepius sint repetenda, formulam Eichhornensi similem cum verbis aliis simul definientibus ad cicatrices adumbrandas necessariis allaturus sum.

In unaquaque cicatrice distinguenda sunt:

A) *Margo* s. *limbus* i. e. finis proprie stricteque dictus inter cicatricem et cutem circumiacentem. Alii vocem marginis in sensu latiori-adhibent, cum vel partem cutis cicatrici, vel cicatricis cuti finitimam, simul intelligant. Nos autem, ut ambigue dicta vitemus, illam cutem circum sive adiacentem, *radialem* sive *periphericam* nuncupabimus; hanc vero cicatricem seu cicatricis superficiem *radialem* sive *periphericam*.

B) *Superficies* cicatricis modo convexa, modo concava, modo plana esse potest. Superficies concava appellatur *fundus*.

1) Quod praeterea ad marginem seu limbum cicatricis, complures in eo observantur disparitates. Est enim

a) *regularis*. Hic porro est vel

1) *orbiculatus*: cum formam circuli aequat, vel

2) *suborbiculatus*: seu *subrotundus*, si formam circuli non penitus exponit, vel

3) *ovatus*, cuius longitudine non nisi paululum superatur latitudo, vel

4) *ellipticus*, cuius longitudo bis terve excedit latitudinem, vel

5) *fimbriatus* seu *annulatus*, qui modo torum, modo anulum format, verb. grat. in cicatricibus post ulcus artificiale ex cortice Mezerei ortum, vel

6) *planus*, ubi torus ille aut annulus deest v. gr. in cicatricibus varicellarum.

b) *Irregularis*: conspectus nunc

1) *dentatus*, ubi margo angulos complures acutos efficit, nunc,

2) *crenatus* seu *crenulatus*, ubi idem denticulis subrotundis constat, nunc,

3) *integerrimus*, qui dentibus caret, quin tamen semper sit rotundus. Nam praeter limbum rotundum alius quoque integerrimus sicut in botanice folia, in margine dentibus, crenis et ciliis carentia, quamvis sunt lobata integerrima nominantur. Nunc

4) *laceratus* seu *multifidus*, qui fissuras seu lacinias irregulares habet, ut in multis cicatricibus combustionis.



b) Iam quod adtinet superficiem cicatricum et convexarum et concavarum et planarum, haec esse potest:

- 1) *Laevis* i. e. linearum, sulcorum, punctorumque expers, quin tamen pilis destituta sit oporteat;
- 2) *glabra*, quicunque fundus pilis caret,
- 3) *pilosa*, quae pilos alet,
- 4) *nitida*, quae fere illo est splendore, quem epidermidis normalis inter sulcos radiatos videre licet;
- 5) *lucida* sive *splendens*, quae solito magis nitida est.
- 6) *Sulcata*, quae depressionibus linearibus distinguitur, quae omnes diriguntur eodem nec usquam secantur: quales sulcos normales in vola manus videre licet.

Reticulato-sulcata ubi secundum cl. Eichhorn sulci tenues retis adinstar, se invicem secant, *sicut in cute normali*. Sed hic dissentire nobis liceat. Etenim cum ita rete contextum esse fere soleat, ut radii non amplius quaterni ex uno puncto excurrant: eam descriptionem a comparatione cum lineis in cute normali conspicuis abhorrere, quis possit infitiri? et eo magis, quod lineae cutis senario fere semper numero gaudent ex eodem puncto recta procurrentes: cicatricum vero lineae neque numero neque forma sibi constant.

Ad occurrendum autem errori nos omnem figuram, cuius ex uno puncto quatuor amplius lineae oriuntur, radiato-sulcatam vocabimus. Ergo:

- 7) *radiato-sulcata*.
- 8) *Reticulato-sulcata*, ubi lineae terni vel quaterni ex uno puncto ortae secantur.
- 9) *Plicata*, si plicae minimae passim sive rectae sive curvae in superficie cicatricis cernuntur.
- 10) *Punctata*, ubi puncta proprie dicta, sive maiora, sive minora reperiuntur; quae tamen foveae parvae saepe mihi vocabuntur.
- 11) *Maculata*, ubi maculae distinguuntur.
- 12) *Gregatim-punctata*, ubi puncta complura consociantur, et, ut ita dicam, vicinitates varias constituunt.

Reliqua ad dignoscendas cicatrices respicienda v. c. color, durities, mollities etc. haec facile ex descriptionibus percipientur.

Saepe videlicet ex prima laesione per totam vulneris ulcerisve sanationem usque ad cicatrisationem varia applicari remedia externa, vel interna, vel irritantia, vel emollientia, adstringentia etc. quae omnia maximam in efficienda cicatricis figura vim exercent: equidem fateor, multa remedia adhibita fuisse ad efficiendam cicatricem, eique faciem minus tristem foedamque comparandam; sed incassum: cum medici, neglectis cicatricum differentiis, hasce ad ulceris praecedentis characterem seu indolem formari ad certas naturae leges non perspexissent.

Sic apud van Swieten <sup>1)</sup> legimus: „Omnium ergo perfectissima sanatio vulneris est, ubi nullum vulneris facti vestigium manet: ubi autem hoc obtineri non potest, tota curae pulchritudo in eo consistit, ut illud vestigium relictum in loco, ubi vulnus fuerat quam simillimum fiat cuti vicinae. Dum enim per causam vulnerantem, vel per suppurationem vulnus secutam aliquid ablatum fuit de substantia corporis, debet renasci aliquod novum, quod ante non fuerat; illudque *nunquam* habebit omnino easdem dotes, quas pars ablata habuerat; unde poterit destingui a vicinis partibus. Pulchritudo autem cicatricis pendet a tribus imprimis sequentibus: 1° si curetur ut partes unitae sint in eodem situ, quem obtinebant ante vulnus inflictum; 2° si cicatrix non emineat ultra aequabilem cutis vicinae superficiem; 3° si cicatrix non sit cava. Primum obtinetur si attendatur, ut labia vulneris per emplastra tenacia, suturas vel idoneam ligaturam sic respondeant sibi invicem, quemadmodum in sanitate etc. etc.” Mangeti <sup>2)</sup> hanc rem ita tradit: „Iam docendum restat, quomodo vitia, quae post vulnorum curationem remanere solent, curari debeant, ut sunt cicatrices concavae, eminentes, male coloratae, rugosae variam habentes figuram, aut magnae cicatrices remanentes. Concava igitur fit cicatrix, vel vulneris culpa, vel medici incuria, si vel amissa sit et excisa partis seminalis vel in vulnere inveterato per putritudinem similiter sit absumpta substantia; tunc enim consolidatio tantum fit secundum

---

1) Gerhardi van Swieten med. Dr. Commentaria in Hermanni Boerhave Aphorismos de cognoscendis et curandis morbis. Tom. I. pag. 542.

2) Bibliotheca chirurgica pag. 560.

partes profundas ut cava maneat, cicatrix eminens fit culpa medici, si vel carnem sinat excrescere hanc per exedentia absumat, vel unum labium super alterum glutinet.

Fiunt etiam interdum cicatrices male coloratae, ut subnigrae, citrinae, virides, lividae; nigrae, albae; idque propter pravos humores, qui hosce colores habeant; qui humores oriuntur aut e prava victus ratione, aut e visceris alicuius intemperie. Rugosa fit cicatrix, si medicus non bene coaptat vulneris partes, quae cicatrice obducenda sunt, aut si non apponit epuloticum (*ἐπούλωσις* cicatrisatio, conglutinatio) debito tempore; vel non apponit secundum omnes vulneris partes, ut opus est, sed in quibusdam fortius. *Cicatrices multi-formes et magnae* factae culpa vel medici vel vulneris vix possunt aliter curari." Satis compertum habemus nostra aetate, medicum, cum saepe etiam deformis cicatricis auctor fit, leges tamen naturae tollere non posse.

Van Swieten <sup>3)</sup> iam bene sensit cicatrices formam, praecipue post curationem ulcerum e dyscrasia natorum a medico non pendere. Ita scilicet monuit: „Hinc patet saepe caveri non posse, quominus cicatrix profunda et cava relinquatur, si nempe per causam vulnerantem, vel per validam suppurationem secutam, pinguedo destructa fuerit: quam turpes et profundae cicatrices relinquuntur, postquam per ulcera venerea subiacens panniculus adiposus consumtus fuit, satis notum."

Quod ad remedia, quae tum temporis ad cicatrisationem fovendam adhibebantur, ipse van Swieten <sup>4)</sup> numerum cicatrisantium restringit: „Unde omnia, inquit, remedia illa, quae cicatrisantia vel et Epulotica dicuntur, semper laudantur talia quae leviter exsiccant et roborant."

Ex omnibus prioris scriptis temporis dissertatio quaedam <sup>5)</sup> tituli causa arideat cuiquam. Liceat igitur lectori adferre quaedam ipsius Meibomii verba, e quibus methodum praecavendi cicatricem desumere possit: „Cicatrix," inquit, „est concretio parietum vasculorum quacunq̄ue a causa dissolutorum iamque iunctorum vel inter se, vel cum fluido in illis stagnante. Concretionem talem efficit aequilibrium in parte soluta sublatum inter vasculorum resistentium et vim liquidorum influentium, ita ut vel vasculorum resistentia superet vim fluidorum vel haec illam. Cum autem causa cicatricis in aequilibrii absentia posita sit; facile in promptu erit, methodum praecavendi in consolidandis vulneribus et ulceribus cicatricem consistere in eo, ut, cognita aequilibrii inter vasa et fluida

3) l. c. pag. 542.

4) l. c. pag. 545.

5) Epistola de methodo praecavendi in consolidandis vulneribus et ulceribus cicatricem. Henr. Ioann. Meibomius. Ienae 1759. 4.

vel praesentia vel absentia, illud si adhuc praesens conservetur, vel si absens restituitur.

Quantitas igitur fluidorum, si excedat, minuenda erit per venae sectionem pro ratione abundantiae sufficientem etc.”

Sed hanc rem magis perspexit et paulo accuratius tractavit Ambrosius Bertrandi <sup>6)</sup>, cuius sententiam hic apponere lubet. Affirmat enim cicatricis neque faciem, neque naturam temperari posse remediis singularemque seu characteristicam in singulis formam retineri. Qua in re adsentire se Cignozzio, qui multa super hac re instituerit experimenta. John Hunter <sup>7)</sup> varia adfert, quae formam cicatricis iam absolutae mutare possint, in eis: resorptionem cicatricis *compressione* adiuvari et *ulceratione*.

Omnes enim partes corporis recens affectas, quae sicut callus, cicatrix etc. non ad partes primitivas pertinerent, resorptioni *progressivae* esse subiectas. Sic veteres cicatrices ulceratione facile affici vel minimis de causis.

Haec fere sunt, quae medici antiquiores hac de re sentiunt; recentiores autem scriptores, quamvis haud omnino ab illis dissentientes rem adeo determinant, ut omnes simul affirmant <sup>8)</sup>; ex cicatricum forma, structura et localitatis habita ratione et numeri fas esse concludere, quaenam causa, quaenam dyscrasia vel attulerit vel concomitata sit vulnus et ulcus. Fere idem contendit R a m b e r g <sup>9)</sup>, „cicatrices, inquit, differunt forma, magnitudine, altitudine, consistentia, colore etc. Non solum ex illis videre licet vulnorum antecessorum disparitates, sed, quod maxime mirandum, cicatrix ulceris specifici aequae ac illud ipsum interiecto quoque tempore demonstrat proprietates quasdam certas, e quibus naturam causamque suppurationis praecedentis agnoscere licet.” Attamen concedunt ex quinque cicatrificationis stadiis saepe unum alterumve mutationibus esse obnoxiam, partim ex internis, partim ex externis causis productis, quae cicatricis faciem quodam modo constituere et effingere valeant. Hae autem causae cicatricis nunquam adeo deformant morbum ulceris vulnerisve, ut primum intelligere non liceat; sed aequae ac alios morbos complicatos, sic etiam cicatrices complicitas dignoscere nostrum est. Hoc loco asserere breviter liceat potiora nonnulla remedia

6) Ambrosius Bertrandi, theoretisch - praktische Abhandlung von den Geschwüren. Erfurt 1790. pag. 29.

7) John Hunter, Versuche über das Blut, die Entzündung und Schusswunden, übersetzt mit Anmerkungen von Hebenstreit C. B. G. Leipzig 1797.

8) „Le nombre, la situation, les dimensions, la forme, la profondeur des cicatrices, peuvent jusqu'à un certain point éclairer le pathologiste sur la nature des alterations, qui les ont précédées.” Rayer §. 761. l. c.

9) Rust's Handbuch der Chirurgie: Artikel Cicatrix (R a m b e r g).

ut ita dicam cicatrisantia <sup>10)</sup>, quae a recentioribus scriptoribus laudantur, e quibus, qua ratione fieri possit mutatio, colligamus.

Sunt autem fere emollientia, adstringentia, Argentum nitricum fusum, tibialia adstrictoria Wisemani <sup>11)</sup>, fasciae involventes Thedeni <sup>12)</sup> emplastrum adhaesivum supra lasciniis extensum Bayntoni <sup>13)</sup>.

Porro contra ipsas cicatrices aut foedas aut motiones partium adiacentium impediens, aut nimis callosas alia commendantur, ut tabulae plumbeae <sup>14)</sup> variae operationes chirurgicae, quas iam laudarunt Fabricius ab Hilden <sup>15)</sup>, Dutertre <sup>16)</sup>, M. Earle <sup>17)</sup>. Alii ad delendas cicatrices ut vesicantia apponantur suadent, et per aliquod temporis suppuratio, foveatur, quod Hunter <sup>18)</sup> commendat. Si autem cicatrices a vesicantibus deleri possent, facultate gauderent corium ablatum producendi, quod autem nullo remedio potest effici, neque ipsa corporis humani vi naturae medicatrice. Varia hac de re nosmet ipsi experimenta instituimus; vesicantia adposuimus cuti deformi cicatricibus ortis vel ex emplastro stibiato vel ex hirudinibus applicitis, vel post furunculos vel cucurbitulis adpositis per hebdomadem fota suppuratione. His omnibus sanatis cicatrices illae ne minimum quidem mutationis signum ostenderunt.

Neque aër in cicatricum formandarum causa est. Ludovicus Sacco <sup>19)</sup> quidem cutem vaccinarum lympham insertam vitri horologii portabilis ope, donec appareret cicatrisatio, ab aëre seclusam tenuit; quo factum est, ut cicatrisatio admodum turbata ipsas cicatrices e conspectu fere sustulerit. Hoc enim in casu aër seclusus pustulam ipsam extinxit. Eadem ratione etiam effici videtur, ut post variolas discretas in corpore linteis ac stragulis tecto, rarissime observentur cicatrices. Interdum autem facies cicatricum ope quorundam remediorum cosmeticorum quodammodo decorari potest. In his ad delendam convexitatem cicatricis deformem vesicantia suaserim: aequè ac contra cicatrices aspectu foedas

- 10) Rust l. c. Artikel : Cicatrisatio.  
11) Several surgical treatises.  
12) Neue Bemerkungen etc. Th. I. p. 17.  
13) Descriptive account of a new method of treating old ulcers of the legs, London 1797.  
14) Rust l. c.  
15) Fabric. Guilh. cent. 1. obs. LXXXIII.  
16) P. Dutertre, Reflexions et observations sur les plaies en général, in 4. Paris 1805.  
17) W. Earle, On contractions after burns on extensive ulcerations, Med. chir. transact. Tom. V. pag. 96.  
18) l. c.  
19) Ludwig Sacco, neue Entdeckungen über die Kuhpöcken, aus dem Italienischen übersetzt mit einer Vorrede von Kurt Sprengel. Leipzig 1812. pag. 40.

artem ferorum barbarorum ritu proferendi colores, acu adhibita epidermidi suffusos, et cuti circumiectae similes.

Sunt tamen omnes cicatrices indelebiles, et omni vita formam signaque specialia conservant. Tum ad aspectu quum textura differunt omnes pro causis, quae cutem laeserunt. Distinguuntur cicatrices, nam etsi saepius characteres adeo inveniantur subtiles, ut levi ad aspectu non observentur, nunquam tamen extinguuntur. Unde cognitio cicatricum diagnosi morborum praeteritorum saepissime est auxilio <sup>20)</sup>. Quin etiam diagnosin ulcerum praesentium interdum facilius, simul per cicatricum cognitionem, si quaedam adsint, statuere licet; nam cicatrices ulceris scrofulosi, arthritici et syphilitici secundarii magis inter se differunt, quam ulcera ipsa.

§. 3.

Omnes corporis partes primitivae, si earum continuitatem quacunque vi alicubi destruas, se ipsas tali modo regenerandi carent facultate, ut pars nova priorem ablatam omnino aequet, quod vel ex vasorum actu in gignenda cicatrice observato, et inflammatione ac suppuratione mutato manifestum est. Id discrimen eo maius, quo graviores organorum functiones <sup>1)</sup>. Cicatrices igitur qua parte a cute normali differant, ex iam adferendis patet.

In utraque enim cicatrice lympa eadem coagulabilis, omnis animalis formationis principium, summum est agens <sup>2)</sup>. Cicatricis membranam eo magis oculis dignoscere licet, quo maior pars corii aut alia corporis pars est ablata; etiam diversis temporibus diversum praebet ad aspectum. Initio scilicet valde vasculosa, rubra, dura, non tam tractabilis est et elastica, quam vetusta: difficulter dimoveri potest, quod illa tela cellulosa subcutanea, quae in normali cute cum cellulis rotundis pinguedine repletis in corio radices agit, deest, et loco pinguedinis lympa coagulabilis postea densata, fundamentum conglutinatum, cicatricis membranam cum partibus subiacentibus arctius coniungit.

Cutis nova brevi post sanationem nata, subtilissima, tenerrimaque, plus minusve splendens, sulcis radiatis carens neque folliculis sebaceis et pilis in-

20) Le praticien ne saurait trop s'exercer à ce genre d'étude, et des conséquences graves ont été souvent la suite des erreurs, dans les quelles on peut tomber relativement à la nature des lésions, qui ont occasionnés les cicatrices à l'examen desquelles on est appelé. L. J. Begin: Dictionnaire de médecine et de chirurgie pratique par Andral, Begin, Blandin etc. Paris 1830. T. V. art. Cicatrice.

1) Rust, Handbuch der Chirurgie Art. Cicatrix.

2) Meckel, Handbuch der pathologischen Anatomie 2ter Bd. 2te Abtheil. S. 47.

structa, sed loco sulcorum fere semper plicae minimae adsunt: qua ex causa cicatrix ob imperspirabilitatem tactui est sicca. Sin corium non prorsus laesum destructumve, sed leviter tantum violatum, tum saepius pili iterum nascuntur, verum breviores et albidiores. Coenaesthesia in cicatricibus fere semper diminuta. Durities saepe a ratione laesionis dependet, ita ut, quo profundius vulnus, eo durior sit eius cicatrix, et vice versa. Initio cicatricis membrana, quod vel ex rubore elucet, varia continet vasa.

Adsunt etiam nervi, arteriae, venae et saepius vasa lymphatica, quae omnia recens orta sunt. Iam Wilson<sup>3)</sup> experimentis probavit, in lymphâ coagulabili exsudata s. in pseudomembranis nervos generari novos. Secundum alios<sup>4)</sup> adhuc disceptatur, an nervi adsint. Sensilitas plerumque diminuta non semper pro nervis deficientibus certat; quemadmodum enim (quam rem infra tractabo) vasorum functiones in cicatricibus sensim decrescunt; ita et deficere et relaxari nervorum vis potest. Iam, quae in lymphâ exsudata sinuantur vasa nova, deflectunt a via naturali<sup>5)</sup>.

His vasis paucissimi rami laterales contineri solent. Etiam vascula nova stellatiora aliquando, quam paralleliora inveniuntur, scilicet pro maiore minorive copia lymphae coagulabilis secretae<sup>6)</sup>. Praeterea cum vasis lymphaticis novae venae, quod Schroeder van d. K. vir cel. demonstravit, existunt, quae omnia etiam cursum minus sinuosum servant. Hic decursus eo dependere mihi videtur, quod nova lymphâ generata in cicatricibus pilis folliculisque sebaceis caret, unde necesse non est, vasa ramos varie emittant: quo fit, ut eorum functionibus vel minimum opus sit. Itaque solum lymphae novae proferendae, eique ad partem iterum resorbendae inserviunt.

Sequitur inde, ut vasa, cicatrizatione prorsus ad finem perducta, partim fiant supervacua, et tum, aequae ac ductus Botalli, tandem oblitterentur; hinc fere omnes cicatrices sensim albescunt. Cicatrices vetustae colore rosaceo vel coeruleo potius ad morbosas pertinent: hae etiam quavis ex causa facile dissolvuntur. At non solum vasa illa nova cicatricum propendent ad obliterationem, sed etiam vasa pristina, quae fortuito a cicatricibus circumdantur, in pluribus ramis oblitteratis varie divisa inveniuntur. His de causis in cicatricibus ipsa vis vitalis minori est actione<sup>7)</sup>, et cicatrices inde non regenerantur neque crescunt; quo fit ut

3) Wilson Philips Nosolog. und Therapie der chirurgischen Krankheiten. Tom. I.

4) Otto, Lehrbuch der pathologischen Anatomie. Breslau 1850. Bd. I. pag. 46.

5) Observationes anatomico pathologici et practici argumenti, auctore Schroeder van der Kolk. Fascicul. I. Amstelod. pag. 40.

6) idid. pag. 45.

7) Henke, Fragmente über Pathogenie und Therapie der Geschwüre, in Horn's neuem Archiv Band VII. pag. 58.

operatione labii leporini tenerrima in iuventute minus arcte instituta, postea cicatrices magis magisque difformes remaneant. Attamen de cicatricibus crescentibus interdum loquuntur<sup>8)</sup>, hoc autem clementum mea sententia non ad verbum intelligendum; sed cicatrix eo solummodo fit maior, quod in corpore crescente cutis adiacens et tela cellulosa subiacens magis magisque distenditur. Inde cicatrix laxa per cutem circumiacentem tensametiam distenditur et inde modo oblongior, modo latior fiat necesse est; prout corpus aut proceritate aut crassitudine maiori extenditur. Hac sola ex causa cicatrices ex tenerrima aetate in adultis mutatae existere possunt, quod in cicatricibus vaccinicis respiciendum.

Quod principium vitale ipsum in istis minus efficax et actuosum esse, etiam ex eo conicere licet, quod neque ex frictionibus nec variis unguentis irritantibus, quae scilicet pustulas aut papulas provocant, ut unguento *stibiato*, vel oleo irritante Wolffii (Ol. croton. et ol. de cedro), rubor unquam, eczema aut pustulae oriuntur: porro quod ulcus vetustum cicatrice obductum, si denuo sponte aperitur, progredi non desinit, donec omnis cicatricis materia suppuratione seu sphacelo consumpta sit<sup>9)</sup>. Etiam cicatrix vesicatorio denuo aperta diutius suppurat, quam cutis sana: attamen cicatricis iterum sanatae forma fere eadem qualis antea fuit, eo discrimine, quod cicatrices antea convexae planiores remanent. Nunc de reti mucoso s. Malpighii dicendum ab auctoribus diversissime tractato. In his Bichat, illud nunquam, si semel esset ablatum, contendit regenerari, qua ex causa cicatrices etiam pari modo essent albae non solum in *Europae* sed etiam in hominibus *Aethiopiae*. Huic sententiae favet, quod Hunter v. cl. cicatricem *Aethiopiae* senilis ex ulcere superstitem, quo iuvenis laboravit, albescentem vidit. Affirmat Begin in cicatricum cuticula nunquam inveniri rete mucosum. Rosen ab Rosenstein autem et Meckel sen. cicatrices variolarum apud *Aethiopes* nigras describunt. Cooper<sup>10)</sup> adfert rete mucosum serius formari quam cuticulam; nonnunquam prorsus non regenerari, saepius quoque multas in *Aethiopibus* cicatrices coloris esse cetera cute nigrioris.

Equidem contendo, cicatricibus veris i. e. ubi pars corii omnino deest, nunquam regenerari rete mucosum: hoc enim rete quasi vasculosum epidermidem cum corio coniungens, aequae ac epidermis a solo corio dependet; nam deficiente corio neque epidermis vera unquam, neque verum rete mucosum gigni possunt. Etenim cicatricis materia nova degenerata mutataque nullo modo procreare potest rete neque epidermidem. Ratio igitur, qua confisi omnes illi scriptores inter

8) Eichborn l. c. p. 514.

9) Sam. Cooper, Neuestes Handbuch der Chirurgie von Froriep, Verb. cicatrix.

10) l. c.



se dissentiunt, ab eo mihi dependere videtur, quod scriptores retis regenerationi adnuentes, tales adferunt cicatrices ad ipsorum sententias defendendas, in quibus color normalis ceterae cutis non ab regeneratione retis, sed a ratione cutis laesae posteaque sanandae dependet. Hac re similes reperiuntur cicatrices post variolas, quae fere semper eodem sunt colore, quo cutis sana; immo longe fusciores inveniuntur. Hisce enim in cicatricibus aut pars corii, quae rete denuo procreare potest, nondum tota destructa, aut rete ipsum ulcere vulnereve solum ablatum; aut secundum clar. Eichhorn <sup>11)</sup> modo tunica vasculosa externa corii modo tunica intermedia corii sola destructa; hic enim omnes tres corii lamellas rete mucosum secernere posse contendit. Inde etiam Rosen ab Rosenstein et Meckel tales cicatrices apud *Aethiopes* semper nigras esse testantur, quasi vero ex hisce concludere liceret, rete mucosum in cicatricibus regenerari: quam ad coniecturam illae cicatrices non valent. Ut igitur apud nos semper plus minusve albiae, sic etiam apud *Aethiops* omnes fere cicatrices verae albidiores.

Ambitus cicatricis non solummodo ab ulceris vel vulneris magnitudine ac indole pendet, sed etiam a loco, quo cicatrix sita est. Quo scilicet laxior cutis circumiacens et tela cellulosa subcutanea, hoc magis vis contractiva <sup>12)</sup> ulceris vulnerisve sanandi agere potest in cicatrice formanda. Quod ad sensilitatem cicatricis, haec fere semper diminuta propter cicatricis spissitudinem et vim nervorum vasorumque turbatam. Saepius autem cicatrices sensilitatem praebent adauctam; ita, ut multo prius doloribus varias in corpore modo refrigerio, modo fatigatione et vigiliis factas mutationes significant, quam caeterae organismi partes. Hanc sensilitatem variis temporibus adauctam *calendarium* vulgo dictum iam scriptores veteres vario modo declarant. Sic Arnemann dolorem certis temporibus in cicatricibus redeuntem ex incommodo nervorum situ deducit. Sömmerring <sup>13)</sup> autem affirmat, nervos cicatricum nodosos assumpto ex aëre humore intumescere, et inde quasi pressu dolere. In cicatricibus vulneris a cane rabioso inflictis observatio illius doloris magni est momenti; nam primum signum veneni effervescentis ex dolore trahente coloreque flavescente desumitur. Hac de re iam apud Schenckium <sup>14)</sup> legitur, cicatrices vulnerum a rabido cane inflic-

11) L. c. p. 156.

12) Lallemand hanc vim contractivam, de qua ut vi peculiari saepius disseritur, in cicatrificatione haud inepte definit dicens: hanc vim esse nil aliud, nisi resorptionem, quae omni in corporis parte ipsisque in cicatricibus diu peractis vigeret. Quo enim maior substantiae pars ablata sit, eo maiorem fluidi plastici ad resorptionem idonei copiam secerni posse, *Recherches anatomico-pathologiques sur l'encéphale*, Paris 1830 lettre 6<sup>me</sup> p. 546.

13) Vom Baue des menschl. Körpers. Frankfurt a. M. 1791. Bd. 5. pag. 177.

14) *Observat. medicin.* l. VII. pag. 548.

torum incepisse livescere post sesquiannum subsequente pariter hydrophobia. Salius Diversus <sup>15)</sup> dolorem prurientem in tali cicatrice sentiri asserit.

Hisce doloribus exceptis fere nullas cicatrices morbosas cognoscimus. In diabeticis tamen cicatrices occurrunt cartilagineae atque saepius exfoliantes. Etiam cicatrices oedematosae observantur, aequae ac cicatrices praecipue post laesiones in cadaveribus secandis obsitae tuberculis suppurantibus. Paucis tantummodo exanthematis remediisque irritantibus infestantur; ea quidem ex causa, quod cicatrices et pilorum bulbis et glandulis sebaceis carent, quibus varii cutis morbi primum invadere solent. Morbi autem, qui ex vesiculis oriuntur, etiam cicatrices occupare possunt: inde emplastrum cantharidum cicatrici simul adpositum vesicam producit; si vero empl. stibiatum simul cicatrices tegit, primum cicatrices tumoris lividi aut coerulei instar tumescunt. Quum autem, ut supra iam memoravimus, inflammatio et suppuratio cicatricis haud facile ad sanationem perducitur, non modo ipsae cicatrices, verum quoque partes vicinae in operationibus instituendis et epispasticis adponendis summo opere sunt vitandae.

Inter omnes cicatrices facilius in ulcerationem recidere solent syphiliticae, scrophulosae, lupinosae, impetiginosae, hydrophobicae et illae, quae aut pressu aut nimia tensione longius irritantur. Hac ex causa saepius cicatrices denuo exulcerant post extremitates amputatas, quae sunt nimis extensae, aut ex osse subiacenti, aut ex cute circumiacenti nimis rigida.

## PARS SPECIALIS.

### DESCRIPATIO CICATRICUM.

#### I. Cicatrices vulnerum vi mechanica productorum.

1) Si instrumentum acutissimum superficiem duntaxat corii leviter incidit, nulla alia remanent signa in cute, nisi sulcus linearis radiis sulcatis similis, eo discrimine, quod illius sulci forma a laesione praegressa dependet, ipseque sulcus clarius perspicitur. Idem illud signum in cute remanet, si instrumentum acuminatum ut acus superficiem illius solummodo leviter scalpit. Valde

<sup>15)</sup> De effect. particular. Caput XIX. p. 364.

autem differunt cicatrices vulnera profundiora instrumentis *acutis secta* insecutae a cicatricibus, quae vulnera instrumentis *acuminatis scissa* sequuntur.

2) Vulnera plus minusve profunde secta semper relinquunt cicatrices margine regulari albissimas, convexas, duriusculas, laeves et pilis orbas, haud dissimiles vibicibus albis oblongis. Huc etiam pertinent cicatrices albiae, lineares, vix extra cutem prominentes post venaesectionem et scarificationes ad cucurbitarum usum etc. Si instrumentum acutum magna vi lamellas corii, oblique persecuit, saepius illas cicatrices parvis granis albidis obsitas inveni.

3) Vulnera instrumentis acuminatis scissa, tum sanata praebent cicatrices concavas, laxas cum margine dentato aut crenato, coloris aut cuti circumiacenti similis, aut, quod saepius evenit, fuscioris. Fundus inaequalis, nunquam planus aut laevis. Pili adesse possunt, si scilicet cutis radialis lacinia cum bulbo pili illaeso inter cicatrizationem fundum petiit.

Cicatrices ex *vulneribus punctis* differunt prout instrumenta fuere acuminata, aut hebetiora, quo fit, ut vulnera plus minusve secta, aut lacerata, seu scissa cicatrices modo duriusculas, albias, convexas, modo magis laxas atque concavas, et coloris fuscioris relinquunt.

Semper tamen ex forma quasi radiante agnoscere licet punctas, atque dignoscere ab aliis e. g. a cicatricibus post ulcera fistulosa. Cicatrices enim vulnerum punctorum sunt albidiores, nunquam in centro adeo profunde fundum petunt, nec cum partibus internis adeo firmiter cohaerent.

#### 1. *Descriptio cicatricis vulneris hirudine producti.*

Figura triquetra; basis huius trianguli vix lineam Paris. aequat, eiusdem altitudo seu altera linea, quae in basi media ad perpendicularum posita, lineae fere dimidiae. Os hirudinis etiam talem praebet figuram. Cicatrix igitur triangularis, albida, convexa in angulis acuminata.

#### 2. *Descriptio cicatricis fonticuli.*

Cicatrix post fonticulum sanatum per annum fere et unum laete rubra manet, deinde albescit; magnitudinem grossi argentei aequare solet. Margo irregularis, superficies radialis plana aut paululum concava. Si fonticulus non per longum tempus suppuravit, cicatrix tota plana, laxa multis plicis minimis instructa.

Si autem suppuratio longius fota, cicatrix media non plana, sed elevata, nodosa, duriuscula, radios quasi carneos albidos in superficiem radialem planam emittens; quo signo tales cicatrices facile a cicatricibus vulneris puncti et ulceris fistulosi distinguere licet. Huic cicatrici id peculiare, quod etiam post annos valde sensilis, ita ut vel leviter trita afficiatur dolore.

3. *Descriptio cicatricis setaceo productae.*

Has cicatrices, si pons cutaneus, sub quo setaceum ductum est, non ruptus, facile eo agnoscere licet, quod pons paululum tumens, duriusculus, colore normali: ad latus pontis dextrum et sinistrum fossae impressae ex rubro-coeruleae occurrunt. In medio ponte, ubi setaceum haerebat, corpus duriusculum rotundum funiculo simile sentitur cum cute mobile.

4. *Descriptio cicatricum post graviditatem relictarum.*

Praecipue occurrunt hae cicatrices in regione pubis atque iliaca dextra et sinistra. Plerumque quasi ordinem observant, ita ut m. obliqui ext. fibrarum decursum sequantur. Superficies cicatricis plana, laxa, albida, saepe fusco-flava; margo subrotundus, planus. Diametros superficiei duas ad tres fere lineas aequat. Epidermis sulcis radiatis caret; sulci tantummodo adsunt. Cicatricis superficies non continet novam epidermidem, sed eius epidermis est vetusta; nam corium sub epidermide vi extensionis sparsim findebatur, et nova lymphā exsudata corium fissum implevit, quod et cultro et aqua fervente et maceratione demonstrare licet.

---

II. *Cicatrices vulnerum ulcerumve vi chemico-dynamica productorum.*

1. *Descriptio cicatricum combustionum.*

Ut combustiones quoad gradum sic etiam earum cicatrices variae. In margine combustionum saepius gradus combustionis levior, ita ut in una eademque cicatrice combustionis gradus adspicere liceat. Cicatrices ex carbonibus candentibus sequentes: margo sensim sensimque modo cum striis planis, aut plicis denticulatis in cutem sanam transit. Superficies cicatricis fere semper plana, plus minusve splendida, tensa, duriuscula. Semper est videre in his cicatricibus maculas striatas albas, pilos vero nullos, interdum aliquid lanuginis. Inter maculas illas aut foveae parvae coloris carnei, aut maculae parvae ex rubro-coeruleae, vel flavo-fuscae inveniuntur. Sparsim per superficiem minimae cuticulae novae ostenduntur plicae. Color cicatricis radialis modo fusco-flavescens, modo albidior, quam cutis sana.

Combustiones aliis corporibus fere candentibus, ut *fornace calida, lapidibus ferventibus* etc. productae, tales secum ducunt cicatrices: Margo plicis minimis linearibus centrum versus vergentibus duas ad quinque lineas Par. longis formatur, quae plicae epidermide radiali formari videntur, inter quas cuticula cica-

tricus nova cum subtilibus inserta est dentibus: quo fit, ut hi dentes paululum impressi videantur; immo interdum in apice horum dentium parva observatur fossa. Caeterum et plicae et dentes mediam cicatricem versus valde tensae, quasi attracta sensim sensimque evanescentes occurrunt.

Cicatrices, si frontem aut aliam corporis partem, sub qua ossa prope iacent, occupant, non illius sunt ruboris sed albidiores.

Combustiones, quas *ferrum candens* cutem tangendo provocat, cicatrices semper latiores superficie ferri tangentis adferunt. Cuticula nova non adeo arcte tensa, quam in superioribus, nec illas continet maculas. Margo iisdem gaudet dentibus.

Combustiones ope *moxarum* eodem modo proferunt cicatrices maiores, quam superficies moxae adpositae. Margo subrotundus, media cicatrix, ubi scilicet moxa cutem tetigit, subrotunda paululum convexa unam scil. fere lineam Par. elevata, laxa, quasi intumescens, ex rubro flava, splendens cum sulcis irregularibus, qui cicatricem radialem petunt. Haec cicatrix radialis magis plana, non adeo splendens, coloris laete carnei, tensa, cum sulcis radiantibus atque pilis mollioribus.

## 2. *Descriptio cicatricis acido sulphurico productae.*

Cicatricis superficies plana laete albida, radiato sulcata, interdum alet pilos atque puncta solitaria, quo fit, ut talis cicatrix, si formam subrotundam aequat, cicatrici emplastro stibiato productae haud sit dissimilis. Distinguitur autem pilo praesente et margine plerumque irregulari, areolaque haud adeo definita fusca atque superficie plana. Cicatricis vero cutis radialis ex acido sulphurico areola leviter fusco-flavescente indefinite cingitur.

## 3. *Descriptio cicatricum ex pustulis emplastro stibiato provocatis.*

Cicatrices aequant magnitudinem modo capitis acus, modo pisi, modo grossi argentei. Margo omnium subrotundus. Superficies cicatricum paululum tumens, laxa, ita ut elevata videatur, semper alba. In superficie uniuscuiusque sunt plura puncta clare depressa, vacua, coloris fuscioris.

Numerus eorum a magnitudine cicatricis dependet, sic in cicatrice, quae magnitudinem capitis acus aequat, unum tantummodo occurrit punctum; in illa lenticulari quatuor ad quinque. Interdum etiam et quidem rarissime evenit ut aliquae cicatrices quasi hypertrophice intumescant, et sic extra cutem formam, quasi praebent globosam, seu mammillatam. Haec cicatrix haemisphaerica duriuscula sine punctis. Si autem cicatrices magnitudinem grossi argentei aequant, interdum quaedam extant magis duriusculae; inter puncta illa cicatricis

pars funiculi seu vibicis albae instar trahitur, et marginem versus paululum impressa adfigitur. Omnibus hisce fere cicatricibus areola plus minusve perspicue fusca.

5. *Descriptio cicatricis post suppurationem ex cortice Mezerei.*

Superficies duobus abhinc annis huius ope corticis per mensem suppuratione laborans a cute circumiacenti solummodo colore carneo paululum laetiori nunc distinguitur; caeterum pili et sulci, quales in cute circumiacente. Sulci tamen magis perspicui. Ast margo quasi ex filo albido circumducto constat. Haec linea marginalis paululum convexa, crenata, laxa, partim interrupta.

Denique movenda mihi videtur quaestio, an etiam emplastro cantharidum superstites sint cicatrices. Sunt autem scriptores, qui cicatrices post emplastrum cantharidum admittant <sup>1)</sup> atque describant <sup>2)</sup>. At huic opinioni assentiri non possum. Nunquam vidi cicatrices post emplastrum cantharidum: etiam per tres fere hebdomadas suppurationem vesicatorio curavi et in cute sanata superficiem tantummodo fusciolem inveni, quae autem distinctio currente anno adeo evanuerat, ut ne minimum quidem vestigium reliquerit. In diabetico quidem suppurationem superficialelem hoc empl. adposito nimis pertinaciter longe durantem observavi; attamen cicatrices, quod scil. corium non totum destructum, nullas, nisi per longum temporis spatium desquamationem epidermidis corneae fuscae. Caeterum, an post vesicatorium adhibitum in alio corpore cachectico gigni mala possit ulceratio atque inde cicatrix; hoc mihi incompertum in medio relinquo.

III. *Cicatrices vel ex morbis contagiosis vel dyscraticis ortae.*

1. *Descriptio cicatricum variolarum.*

Neque apud veterum Graecorum Romanorumve auctores de his cicatricibus relatum legitur quidquam. De illis primum mentionem faciunt scriptores Arabum.

Cicatrices variae sunt, prout adfuere variolae discretae aut confluentes. Variolarum cicatrices discretarum a praedispositione pendere solent, et aequae ac

1) Gazette de santé ou Recueil général et periodique de tout ce que l'art offre de plus avantageux etc. par une société de medecins No. XXXIV. Dec. 1813. pag. 267.

2) Rayer l. c. p. 146 sq.

varioloides, etiam variolae sine cicatricibus evanescere dicuntur. Margo subrotundus, crenatus aut serratus. Cutis normalis marginem cicatricis tangens laxa, saepius torum annularem albidum formans. Diametros fundi lineam Par. ad duas aequat. Cicatrix semper plus minusve concava cum fundo punctato; etiam, intensa cute, fundus manet punctatus. Haec puncta quinque ad septem fere semper marginem versus circuli formam occupant: in medio fundo plerumque punctum solitarium. Aliquoties pili adsunt, nunquam autem ex punctis ipsis originem ducunt. Color plerumque illi cutis circumiacentis similis: in genis autem saepius laetiori gaudent rubore, seu colore magis carneo, quam cutis circumiacens. Interdum etiam omnes fere cicatrices colore sunt fusco flavescenti.

Cicatrices variolarum discretarum praecipue occurrunt in facie, aliis in corporis partibus aequae ac inter capillos nullae aut paucae.

Cicatrices variolarum confluentium aliter se habent; saepius enim faciem valde difformem, foedissimamque reddunt, cuius rei, nostra quidem aetate, (quod Edwardo Jennero, viro immortalis acceptum se referre meminerint nepotes) quam rarissime obviae, exemplar nobis exhibuit infelix obcaecatus iuvenis XXIX annos natus, in clin. chir. *Bonnense* receptus <sup>1)</sup> et cuius imaginem adumbratam exponit Tab. infra apposita. Hae cicatrices variolarum confluentium, quae hoc in iuvene os circumdant, sunt vibices elevatae, varie formatae, callosae, splendentes, coloris modo flavescentis, modo carnei et rubri. Sparsim barba provenit. Ubi illae vibices finiunt, varios sinus formant, in quibus foveae profunditate discrepantes coloris nigri inveniuntur. Inter hasce cicatricum vibices non minus in genis, quam in fronte etiam cicatrices variolarum discretarum, quales descripsi, sparsim observantur.

Cicatrices variolarum confluentium etiam inter capillos occurrunt, quae autem valde differunt ab aliis caeteri corporis: sunt enim cicatrices planae, pisi-formes, albissimae, capillis carentes cum superficie tensa, laevi et glabra. Aliae harum macularum cohaerentes formam taeniae adaequant, et sic ad frontem usque currunt, eo discrimine, quod in fronte hae maculae fiunt fusco flavescentes et sparsim iterum cicatrices punctatas coloris fuscioris inter se habent, quae, quod cutis circumiacens ob illas cicatrices seu potius maculas valde tensa est, paululum elevatae inveniuntur.

In antibrachio atque manibus cicatrices variolarum nullis gaudent punctis, sunt enim aut funiculiformes, aut potius maculae fusco flavescentes, pisi-formes, marginem versus paululum depressae, in medio cuti normali similes.

---

1) Huic misero opem non exiguam tulit vir ill. Car. Guil. Wutzer, qui pro more suo maxima cum dexteritate *Ceratoplasticen* primus instituit ita agens, ut scleroticae corneam infixit ovilem.

In corpore macro, aut cadaveribus cicatrices saepe existunt laxiores magisque tumentes; qua ex causa earum puncta magis perspicua.

Quod attinet ad locum, quem hae cicatrices occupare solent, prae omnibus faciem amant, ubi cicatrices punctatae propter cutis laxitatem etiam evanescent nunquam. Attamen in iuventute et corpore obeso planiores fieri possunt. Qua re etiam inter capillos ob cutem tensam planae existunt. Causa cicatricum planarum caeteri corporis secundum cl. Sacco ab aëris vi vestibis prohibita dependit. Equidem credo, cicatrices caeteri corporis non solummodo a principio minores planioresque fieri nec, ut alii credunt, cum tempore evanescere, sed maximam esse causam crementum corporis extensionemque cutis; in cadaveribus enim cicatrices iterum apparent: sunt quidem cicatrices pisiformes maioresve albiae, laxae, paululum tumidae, punctisque obsitae.

## 2. *Descriptio cicatricis vaccinicae.*

Inter omnes cicatrices nullae adeo diverse a scriptoribus tractantur, quam vaccinarum. Alii aliam cicatricis formam, aliam magnitudinem, alium numerum referunt, e quibus vim tutricem contra variolas deducere volunt: alii argumentis hisce variis atque incertis fallebantur, neque inde argumentum pro felice vaccinarum successu desumere audent; sed ex earum pustulis solummodo vim tutricem agnoscere se putant; quam sententiarum confusionem ex eo originem ducere existimaverim, quod isti medici non distinguunt cicatrices vaccinarum *genuinas* a *tutoriis* <sup>1)</sup>. Non omnes enim vaccinarum cicatrices *genuinae* etiam sunt *tutoriae*; attamen *tutoriae* semper esse debent *genuinae*. Quaeritur ergo, quaenam sint *tutoriae*, aut quod idem est, quomodo ex cicatricibus genuinis liceat cognoscere, an praedispositio ad variolas extincta sit nec ne?

a) Praedispositio ope cicatricum genuinarum *omnino* extincta habenda: 1) si simul erui potest, *quot* insertiones lymphae vaccinae sint institutae et 2) quod non *singulas* hasce insertiones caute institutas pustulae atque cicatrices modo describendae sunt secutae, sed, quod in quibusdam harum insertionum, lymphae vaccinarum ob praedispositionem omnino fere extinctam gemmas quasi agens cum nullis aut cum cicatricibus haud perspicuis sequentibus emoritur.

b) Praedispositio autem *non omnino* extincta habenda, et varioloides timendae, si *post omnes* vaccinarum insertiones cicatrices *genuinae pariterque* evolutae supersunt.

Omnia igitur dependent tum a gradu praedispositionis variolarum, tum a numero insertionum instituendarum. Numerus enim, ac figura cicatricum praesentium, numero insertionum neglecto, fallere possunt. Quum autem praedispo-

---

1) Eichhorn l. c. pag. 502.



sitionis gradus in hominibus varius, cl. Eichhorn <sup>1)</sup> signum praedispositionis certe extinctae sedecim ad viginti cicatriculas adfert, qualem equidem numerum non necessarium crediderim, immo existimaverim, illo numero magno causam confusionum proferri: dicit enim <sup>2)</sup> in illis, quibus insit parva praedispositio cum magna irritabilitate, nec pustulas magnas, nec cicatrices remanere; si scilicet sedecim ad viginti pustulae insertionibus provocentur; totumque pustularum decursum per tres ad quinque dies iam esse finitum; nam omnem praedispositionem *pluribus* pustulis parvis *quasi distributam* deleri contendit <sup>3)</sup>.

At eodem fere modo vaccinellarum pustulae sine cicatricibus decurrunt <sup>4)</sup>. Quomodo igitur, hoc in casu, sexto aut octavo post die praedispositio extincta a medico agnoscenda?

Quatuor aut sex cicatrices ex insertionibus sex ad octo in infantia lymphae institutis, in adultis delineatae fere semper talem praebent speciem:

Margo semper orbiculatus, aliquoties etiam crenatus, diametros superficiei tres ad quinque linearum (magnitudo atque profunditas dependent a praedispositione plus minusve magna). Superficies cicatricis radialis paululum depressa cum quinque ad septem punctis deinceps prope ad marginem positis. Interdum puncta adeo perspicua, ut parvas forment fossas.

Extensione cutis vicinae puncta illa fere omnino evanescent. Accidit etiam ut, vel illa puncta, vel fossae binae eundem circulum obtineant, ita ut impressio altera centrum versus sit posita, et numerus eorum ad quatuordecim crescere possit. Caetera cicatricis superficies subalbida, glabra, punctum solitarium in medio interdum continens. Si autem puncta illa forte propius limbum versus locum tenent, et sic extra marginem promineant necesse est, margo etiam crenatus esse videtur. Aliquoties etiam margo non orbiculatus, sed plus minusve oblongus, quae res a pustulis vaccinarum confluentibus dependet. Cicatrices autem in infantibus paululum minores, fere planae, albescentes punctis, instructae. Diametros duas ad tres lineas aequat.

Quod ad locum attinet, ubi cicatrices inveniuntur, is haud definitus: fere semper in brachio, interdum in dorso manus, inter digitos, in cruribus, in abdomine etc.

Si autem iam adultis, praedispositione haud extincta, vaccina cum successu inseritur, cicatrices, corporis scilicet incremento cessante, non mutant magnitudinem. Nil certi igitur de earum magnitudine mutata concludere licet.

---

1) l. e. pag. 506.

2) Eichhorn l. c. pag. 204.

3) Eichhorn l. c. pag. 517.

4) Eichhorn l. c. pag. 451.

Cicatrices porro *eo magis* sunt perspicuae, quo *gravior* fuit praedispositio ad variolas, et *quo minor* insertionum numerus. Si igitur post unamquamque insertionem vaccina institutam cicatrices sunt reliquae, magnum est periculum, ne quid praedispositionis adhuc adsit. Si corpus ex infantia hisce cicatricibus signatum, in iuvenili aetate crescere incipit, necesse est, ut illae cicatrices, quod cutis omni in parte crescit, fiant profundiores paululumque distendantur, atque *hac ex causa crescere videantur*. Haec sola est ratio, cur cl. Eichhorn cicatrices crescentes pro signo praedispositionis haud omnino deletae habere potest. Si autem praedispositio *levis*, aut *plures* sunt institutae insertiones cum successu, cicatrices, quod scilicet suppuratio corii nimis parca evadit, haud adeo fiunt perspicuae, sed remanent solummodo illa puncta. Necessario etiam in his cicatricibus fit, ut, si corpus aut cremento aut obesitate evadit maius, sulci radiati, inter puncta magis perspicui, atque puncta tensionis causa plus minusve evanescant. *Inde* cl. Eichhorn cicatrices evanescentes signum praedispositionis extinctae referre potest.

Si autem omnes aut plures cicatrices ab illa descriptione valde discrepant, aut magnitudine, aut profunditate, aut punctis deficientibus; semper adest suspicio, ne tales homines variolis aut varioloidibus sint opportuni. Causa harum cicatricum, ut ita dicam, spuriarum, omnis est, quae insitiones lymphae vaccinae et verae et spuriae (vaccinella enim nullas relinquere solet cicatrices) institutas adeo turbat, ut pustula ante febrem primariam absolutam in ulceris forma transformetur. Sic post cicatrices sex nunc describendas variolae quendam invasere: margo ovatus seu ellipticus, planus, magnitudine pisi, aut grossi argentei, non nisi colore albidiori a cute sana distinguendus. Superficies omnino plana nullis gaudet punctis, nullis impressionibus, neque pilis, nec glandulis sebaceis. Sulci radiati tenuiores fere normales: epidermis nova magis tensa quam cutis vicinae, tactui autem non obnormis apparens. Quid denique cl. Eichhorn in libro suo <sup>1)</sup> maxime laudando de cicatricibus vaccinarum putet, hoc loco adhaerere non supersederim: »Cicatrices, inquit, a vaccina relictas, tum demum certo indicant, an vaccina praestiterit, ut ita dicam, praesidium contra variolas, nec ne, cum earum numerum spectas atque diametrum; in reliquis casibus suspicio tantum oritur, cutem variolis infestatum iri. 1) Si vaccina ortae cicatrices exiguae duodecim amplius exstant, quarum diametrum trium linearum longitudinem non excedit: homo iis obsitus variolarum incommodo vexabitur nunquam, cicatrices sive oblongae, punctatae, sulcatae, sive in margine penitus sunt determinatae, nec ne. Quod si cicatrices eius numeri, et magnitudinis sunt sulcatae, certius etiam significant, quam punctatae, non esse, cur variolae timeantur in posterum: sed et haec alterae, dummodo sint numeri relati, et magnitudinis, omne periculum summo-

1) l. o. pag. 515.

tum esse testantur. Si nonnullas de numero statuto cicatrices, easque sulcatas paulatim evanuisse, aut certe ad annum aetatis *vicesimum quintum nihil plane crevisse constat*; hoc firmiter est praesidium. Si vero ad hanc usque aetatem ne una quidem cicatricum aucta fuit, in octonario, immo in numero senario praeterea debita magnitudine non deficiente, tutelam sperare licet. 2) Sin una tantum vel duae cicatrices diametri superius memoratae exstant, sive sunt rotundissimae, accurate circumscriptae, sive sulcatae, nec ne: suspicio locum habet, tutelam non suffecturam et variolas graves fore impetrandas. De industria suspicio, inquam: singuli enim, iique ad morbum hunc non adeo proclives, per unam aut duas pustulas leviores defendi possunt. Quo magis autem cicatrices iamiam enunciatae labentibus annis paulatim evanescere, aut non crevere, hoc maior est suspicio. 3) Magnae cicatrices, quarum diametrus quatuor lineas aut pollicem unum cum dimidio pedis duodecimalis Parisiensis aequat, semper quidem suspicari duntaxit nos faciunt, adesse periculum, ne variolae existant, sive plures sunt punctatae, sulcatae, sive funiculiformes (*strickigt*), nec ne. Hae cicatrices magnae quanto sunt rariores, tanto gravior suspicio; at quo plures, hoc levior, praesertim si eadem minus magnae reperiuntur. Sed meminisse debemus, cicatrices vaccinae *non prius palam crescere*, quam quis annum aetatis *decimum sextum* ingressus sit. Sciendum praeterea in hominibus macris, brachio in *longitudinem* magis, quam in crassitiem crescente, cicatrices tunc *oblongas* evadere, et saepius pollicem unum cum dimidio longas, ac septem lineas ad decem latus reperiri. In hominibus *pinguedine ingenti*, et variolarum turba obrutis, vaccinarum cicatrices, quarum diametrus *pollicem* aequabat, et quae nihilominus rotundissimae erant, ipse observavi. Quando cicatrices magnae punctis instructae, tum suspicio, desiderari securitatem, minor est, quam cum eae funiculiformes conspiciuntur. Haec enim proprietas creatur inde duntaxat, quod vaccinarum pustulae diutius ulcerant, quod suspicionem tutelae incertae auget. Verum ne sex quidem cicatricibus punctatis, si magnae sunt, confidere licet; quamquam adesse securitas potest; etenim iam homines quatuor cicatricum sex eleganter punctatarum, attamen pollicem latorum varioloidibus secundi gradus vaxatos vidi."

### 3. *Descriptio cicatricis varioloidum.*

Cicatrices varioloidum haud frequentes, neque post omnes eruptiones remanent, quae res dependet a praedispositione. Si praedispositio haud magna, accidere potest, ut omnino nullae remaneant.

Tota cicatricis figura formam parvae foveae praebet, cuius magnitudo caput acus aequat. Rarissime maiores, aliquoties etiam ovaes, aut dentatae esse videntur. Haec res inde pendere mihi videtur, quod duae aut tres glandulae sebaceae, aut radices duorum pilorum adiacentes inflammatione et suppuratione in

eadem pustula destruantur. Tum inter cicatrisandum illa fossa quasi primaria, quae scilicet magis fuit inflammata, maiori vi, ut ita dicam, contractiva gaudens, foveam seu cicatricem minorem adiacentem attrahit, et sic dentata esse videtur cicatricula. Fundus subalbidus. Distinguuntur autem a variolarum cicatricibus, quod in his circum puncta, etiam superficies corii, partim deleta atque varie colorata est, unde variolarum cicatrices cum fundo punctato existunt. Varioloidum cicatrices nunquam proferunt pilos, nam hae cicatrices tantummodo ex pilorum radicibus aut glandulis sebaceis destructis originem ducere videntur. Differunt autem a cicatricibus acnes induratae: colore, origine, numero et magnitudine. Praecipue remanere solent in facie, et quidem in regione nasi.

#### 4. *Descriptio cicatricis varicellae.*

Omnes scriptores harum cicatricum valde dissentiunt. Quarum sententiarum diversitas inde manare mihi videtur, quod multi leviter tantum cicatrices examinarunt, et hanc ob causam nullas invenerunt; nam plures propius inquirere debes, antequam videre liceat. Alii autem cl. Heimium <sup>1)</sup> sequentes confudere cicatrices varioloidum cum varicellarum cicatricibus, quem errorem ille vir cl. postea publice professus est <sup>2)</sup>. Cicatricibus, quas cl. Meissner <sup>3)</sup> describit, fere similes iam describendas semper observavi:

Margo subrotundus, integerrimus, planus, albedine duntaxat splendenti distinctus. Superficies fere semper plana, pilis carens, albedine illa facile agnoscitur. Interdum centrum paululum concavum occurrit. Diametros lineam Par. ad lineam cum dimidia aequat. In dorso et fronte etiam maiores planas furunculorum cicatricibus haud dissimiles inveni. Plerumque cicatrix unam stellam, ut ita dicam, quae illis sulcis radiatis in normali cute formatur, occupat; si autem cicatrix maior partem stellarum adiacentium recipit, quo fit, ut tales cicatrices non semper marginem orbiculatum, sed saepius paululum angulatum praebeant. Habent saepius sulcos radiantem, sed normalibus multo tenuiores. Amant extremitates et praecipue digitos dorsumque manus.

#### 5. *Descriptio cicatricis acnes iuduratae.*

Si folliculi sebacei tantummodo solitarii parce suppurarunt, puncta solummodo fusca remanent. Si autem plures congregatim suppuratione delentur, cutis remanet quasi lacerata, duriuscula: adsunt enim foveae saepius diffusae, fere

1) Horn's u. Nasse's Archiv. Jahrg. 1809 Jul. p. 220.

2) ibid. Jahrg. 1825. Jan., Febr.

3) Meissner, Kinderkrankheiten 1828, Thl. II. S. 394 ff.

planae, marginibus varie laceratis congregatim positae. Color aut cuti circumiacenti similis, aut fuscior. Per totam fere faciem praecipue in genis et fronte pedetentim oriuntur.

6. *Descriptio cicatricis furunculi.*

Margo irregulariter rotundus, nec certis finibus a cute sana differt. Superficies paululum concava, cutem sanam alitudine paene aequat. Sulci radiati in cicatrice radiali rariores. Diametros fundi varia, rarissime maior tribus vel quatuor lineis Par. Superficies glabra albido-nitens, aut ex rubro-subcoerulea, laevis, reticulato-sulcata, in medio cicatricis sulci fere nulli. Cuticula cicatricis magis laxa quam cutis normalis, ita ut digito cuti circumiacenti adposito et post levem tractionem, plicae lineares in nova cuticula orientur.

7. *Descriptio cicatricis carbunculi contagiosi.*

Margo subrotundus, crenatus, diametros varia quatuor ad octo lin. Par. aequans. Superficies cicatricis radialis paululum depressa, fere plana, e fusco albescens, laxa, plicis minimis centrum vergentibus instructa; media autem magis tensa irregulariter sulcata, nonnunquam prominens. Color ab initio ex rubro subniger, postea albido-nitens. cl. Rayer de hisce cicatricibus dicit: „cicatrix semper irregularis, impressa, fundus haud planus, per longum temporis spatium colorem fusco rubrum servans. Saepius hae cicatrices vibices crassas deformes formant, quae varias impediunt motiones.”

8. *Descriptio cicatricis rupiae prominentis.*

Margo rotundus, diametros sex ad quatuordecim lin. Par. aequat. Tota cicatricis superficies fere plana, cicatrice radiali excepta, quae paululum tumet. Cuticula nova tensa, duriuscula. Color per longum temporis spatium laete ruber, deinde albescens. Cicatrice radiali atque media facile a cicatrice carbunculi distinguitur.

9. *Descriptio cicatricis pustulae scabiosae.*

Margo subrotundus, irregularis, superficies plana, pilis carens, laxa, haud valde perspicua, ita ut leviter tantum adspiciens, cicatrices non observet. Interdum media cicatrix paululum depressa, sulcos lineares continens irregulares. Magnitudo cicatricis varia, fere semper pisiformis; color fere normalis, interdum paululum albidior. Eas confundere licet cum cicatricibus furunculorum, at colore et marginibus distinguuntur. In extremitatibus inferioribus et superioribus locum tenere solent.

10. *Descriptio cicatricis psoriasis inveteratae.*

Margo varians, dentibus minimis in cutem normalem transit. Superficies fere semper plana, tensa, interdum etiam varie impressa, duriuscula, cartilaginea, splendida, coloris lactei. In centro cicatricis aut foveae minimae aut puncta occurrunt paululum elevata. In tota cicatricis superficie sparsim inveniuntur epidermidis squamae, albae, nitidae atque duriusculae, subrotundae, quae in ipsarum centro tantummodo cuti subiacenti adhaerent; marginem autem versus undique solutae incumbunt cuti. Haec squama facile dissolvi potest. Cicatrices recentiores non semper squamas illas habentes colore sunt ex rubro coeruleo.

11. *Descriptio cicatricis sycosis menti.*

Scriptores, qui de his cicatricibus mentionem faciunt, adhuc dissentiunt: Rayer nullas cicatrices post sycosin remanere censet. Sunt autem omnino planae, duriusculae, albae, dense positae cum marginibus varie laceratis aut crenatis. Diametros lin. unam Par. fere aequat. Pilis omnino carent atque sulcis radiatis. Superficies talibus cicatricibus instructa albide marmorata videtur. Praecipue conspiciuntur in barba menti genarumque.

12. *Descriptio cicatricis lupi exfoliantis.*

Margo irregularis, plus minusve lobatus, planus cum plicis tensis, angustis, linearibus et radiantibus. Eisdem fere plicas radiantes tres ad sex lin. Par. longas, per totam cicatricis superficiem planam tensamque sparsim videre licet. Inter hasce partes plicatas maculae, duriusculae, parvae, haud nitidae conspiciuntur colore, nunc cineraceo, nunc fusco flavescente, nunc albissimo. Aliquoties etiam hae maculae in margine paululum reperiuntur solutae. Vasorum minimorum ramificationes sparsim translucent, ita ut talis cicatrix variegata videatur. Cicatrices vero *lupi ulcerantis* se fere praebent praecipue in cartilaginibus nasi, quales sunt cicatrices post ulcera partes destruunt. Sic saepius apex alaeque nasi videntur eo multo minores, quod tela cellulosa subcutanea simul cum corio sunt destructa, quorum locum nunc cuticula nova valde tensa, albida atque laevis cartilaginibus firmiter adhaerens, tenet. Si autem cum lupo scrofulosis complicata est, quod non raro evenit, haec saepius latet et cicatrizatione se solummodo ostendit. Quae res maximi momenti in tali morbo pertinaci. Si igitur inter lupi cicatrices etiam aliae adsunt cum characteribus cicatricum scrofulosarum, quales cicatrices imbricatae aut trabecularum aut papillarum formam aequantes, ad quarum radices foramina nigricantia fere semper inveniuntur, complicationem haud dubie sperare licet. Hasce disparitates cicatricum scriptorum qui-

dam <sup>1)</sup> recentium neglexit, omnemque, quam describit cicatricem, a lupo solo dependere monet. Verumtamen hoc modo lupo purus nunquam cicatrice obtegitur, nam, quas hic scriptor adfert cicatrices, simul a scrofulosi dependere comperi. Sic enim de lupi cicatricibus disputat: „Genae sunt rubrae, perforatae, sulcatae, papilliformes (mamelonnés), quae papillae formantur cicatricibus inflatis, impressis (enfoncées), irregularibus, aequae ac sunt cicatrices, quae post combustiones in cute remanent.” Si lupo caeterum corpus, ut extremitates occupavit, quod rarius evenit, etiam cicatrices remanent cicatricibus faciei fere similes, sed magis tensae, duriusculae fere cartilagineae, sordide fuscae. Lupo hypertrophicus aut cum exfoliante aut cum ulcerante complicatus et cicatricibus non influit.

13. *Descriptio cicatricis ulceris abdominalis.*

Margo subrotundus saepe sinuosus; superficies marginem versus paululum profundior; media cicatrix plana, tensa, duriuscula, cartilaginea, pilorum egens. Sulci solummodo lineares sparsim adsunt. Color totius cicatricis fusco-flavescens. Magnitudo varians.

14. *Descriptio cicatricis ulceris varicosi.*

Cicatrix coloris coeruleo-nigrescentis, cutis circumiacens marmorii similis esse dicitur.

15. *Descriptio cicatricis ulceris fistulosi.*

Cicatrix simul cum cute radiali plus minusve depressa, ad partes internas quasi attracta, nec mollis neque cum margine definito, sed varie costata seu torulosa occurrit. In media cicatrice plerumque noduli, aut tori carnei coloris fere semper rubri, qui plus minusve firmiter cum partibus inferioribus immobilibus cohaerent; ita ut talis cicatrix, etiam si cutem circumiacentem fortiter attrahas, nunquam loco bene moveri possit. Si fistula ex osse antea carioso originem ducit, quod non procul sub cute iacebat, semper digito sentire licet plus minusve magnam ossis destructi partem, et ipsam cicatricem ossi quasi affixam. Quibus signis utimur ad eas dignoscendas a cicatricibus post vulnera puncta aut ulcera scrofulosa.

16. *Descriptio cicatricis ulceris arthritici.*

Margo irregularis, varie laceratus, aut sinuosus. Fundus valde irregularis, multas foveas et tubercula continet, ita ut cum regione saltuosa sit comparanda.

<sup>1)</sup> Manuel des maladies speciales de la peau par C. M. Gibert. Bruxelles 1825. pag. 301.

Color e fusco-coeruleus, plerumque cineraceus. Cutis radialis saepius varicosa, fusca, interdum et ut erysipelate affecta, dolorifera; quae omnia vel consensum, vel antagonismum cum paroxysmis arthriticis obtinent. Occurrunt in extremitatibus inferioribus circa articulos.

17. *Descriptio cicatricis ulceris scabiosi.*

Cicatrices paululum supra cutem se tollunt, magnitudinem formamque rotundam grossi argentei aequant, interdum diametris etiam maior: colore sordido lividoque. In extremitatibus inferioribus plerumque inveniuntur. Hae cicatrices auctore cl. Rust herpeticis haud dissimiles extare solent.

18. *Descriptio cicatricis ulceris herpetic.*

Margo subrotundus, lobatus vel sinuosus et ob *colorem spadicem*, quo duofere trientes cicatricis radialis gaudent, obnubilus fit. Magnitudo cicatricis varia, modo grossi argentei modo magnitudinem manus aequat. Tota superficies cicatricis plana, tenera, mollis, paululum tensa, splendida et pilis et glandulis sebaceis et sulcis radiatis caret; adsunt solummodo plicae minimae lineares, quae centrum versus rariores fiunt. Signum characteristicum est color cicatricis: duofere trientes cicatricis marginem versus praebent colorem ex *rubro-fuscum* saepius *spadicem*. Media autem cicatrix *coloris laete carni*. Cutis radialis aequae tota cicatricis superficies parvas epidermidis *squamas furfuri similes* semper formant. Occurrunt praecipue in cruribus.

19. *Descriptio cicatricis ulceris scorbutici.*

Margo subrotundus, superficies cicatricis tota fusca vel livida, vel ex rubro coerulea, laxa, plana, potius initio paululum elevata. Tota cicatrix sensilis pluribus annis interiectis planior et non adeo sensilis, marginem versus e rubro coerulea, multas plicas minimas formans; in medio cuticula magis viridescens, etiam facile locum movenda. Occurrunt praecipue in cruribus, articulis et regione pubis. Facillime iterum sponte perforantur.

20. *Descriptio cicatricis ulceris scrofulosi.*

Cicatrices scrofulosae valde irregulares saepe deformes varium praebent fundum, varium marginem. Sunt enim trabeculae carnae, albidae, ramosae, quae saepe ex uno puncto originem ducentes, sensim sensimque evanescentes per cutem varie sinuantur. Cicatrices, quae remanent post ulcera praesertim regiones sub



maxillares, malares, axillares atque inguinales occupantia sanata, faciem iamiam explicandam ferunt: per medium locum, quem cicatricis ambitus occupat, pons, ut ita dicam, carnosus, varie sinuatus ducit. Hic pons trabeculis carneis cordis valde similis semper albidus, saepius quasi planus in cute iacens; aliquoties etiam una vel duabus lin. Par. elevatus et digito prementi occurrit nodosus. Haec autem trabecula carnea cutem quasi secans non eodem modo undique percurrit, sed aliquoties subito quasi desinit, et in foveam transit, quae speciem praebet modo nodosam, modo adstrictam. Color eius idem, ut caeterae cicatricis, albidus. Hac ex fovea illa trabecula ex altero latere iterum eodem modo prodit pergittque, et saepius, spatio linearum quatuor usque sex interposito, eandem in fossam adstrictam transit, ex qua denique radians margines petit. Inter hasce foveas cutis simul cum cicatrice interiacenti sacco similis laxior propendet. Ramos aut radios etiam emittit varios media haecce trabecula, qui omnes aequae ac eorum truncus albidi plus minusve elevati filo satis forti similes, sensim sensimque evanescentes margines petunt. Eorum longitudo varia. Haecce trabeculae filiformes modo duriusculae modo laxae ut caetera cutis. Color cutis radialis saepe paululum rubrior. Fines et trabeculae ipsius et huius ramorum radiati, ubi scil. sensim sensimque evanescentes marginem petunt, aliquoties subito quasi in cute infixi minimas foveas relinquentes finem faciunt. Cutis circumiacens his in foveis quasi inserta videtur. Color fovearum plerumque nigricans, quoniam iis squalor inest. Inter illos ramos cicatrices interdum occurrunt inflatae modo laxae, modo duriusculae, glabrae, laeves, pisiformes aut papilliformes, coloris modo rubri, modo albidi. Radicem versus harum cicatricum plura foramina quasi infundibiliformia nigricantia occurrunt. Interdum etiam faciem praebent, ut ita dicam tesserae vitreae congelatae, fusco-flavescentis.

21. *Descriptio cicatricis ulceris syphilitici.*

Cicatrices valde differunt, prout exortae sunt ex ulceribus primariis aut secundariis: deinde prout locum tenent modo in cute externa, modo in membranis mucosis. Signum, quod ill. Rust in omnibus cicatribus syphiliticis observatum affert characteristicum, scil. scrobiculorum formam, etiam in omnibus inveni; interdum autem in cicatricibus ulcerum secundariorum minus expressum.

a) *Cicatrices ex ulceribus primariis:*

magnitudo varia, aut pisi aut grossi argentei aut maior. Margo subrotundus, vel omnino orbiculatus, saepius etiam crenatus aut sinuatus, fere semper acutus, quasi pars destructa ad perpendicularum fuisset excisa. Altitudo fundi varia, saepius

autem marginem versus dimidiam fere lineam Par. aequat. In fundo plures foveae parvae plus vel minus profundae eandem formam habent, quasi mures eas eroserint; interdum etiam tubercula minima albescentia fundum occupant. Cuticula fundi aliquid tensa, in glande color fere semper coeruleus vel lividus. Verum si syphilidis dyscrasia diutius vigeat, et haecce ulcera sensim sensimque profundius rodant, cicatrices varie fistulosae et infundibuliformes oriuntur. Cicatrices illae nunquam cum cicatricibus herpetis praeputialis confundi possunt; herpes enim rarissime cicatrices relinquit, si autem in corpore cachectico quaedam remaneant, tum sunt cicatrices ulceris herpetici supra descriptae.

b) *Cicatrices ex ulceribus secundariis.*

Alias relinquunt cicatrices *ulcera*, alias *exanthemata syphilitica*. Inter *exanthemata syphilitica* pustulae sequentes secum ferunt cicatrices: Magnitudo modo lentis, modo nummi, modo maior. Margo subrotundus, apud maiores etiam sinuosus. Superficies cicatricis radialis fere semper plana, et sensim sensimque in fundum transit; inde etiam fundus centrum versus profundior. In media cicatrice cuticula funiculi instar aut nodosa paululum duret, quae durities in cicatricibus maioribus interdum ramulos mox evanescentes, albescentes varie emittit. Profunditas longitudinem lineae Par. rarissime superat, neque foveas, neque pilos continet. Cuticula nova tensa, splendens coloris albissimi, praecipue centrum nodosum; in cicatricibus recentioribus autem color diu manet ex rubro-lividus etiam cutem radialem occupans. Interdum vasorum ramificationes perspicuae centrum nodosum petunt. Cicatrices minores cum margine supra descripto fossam praebent albam cum fundo aequaliter excavato: qua re a varioloidum et acnes cicatricibus differunt. Cicatrices, quae inter capillos occurrunt, sunt foveae aequaliter excavatae, laxae sine capillis et sine centro nodoso, etiam color haud adeo albidus, quam in illis. Hae cicatrices facile profunditate atque laxitate a variolarum confluentium inter capillos dignoscuntur. Multum denique differunt omnes hae cicatrices et forma et loco a cicatricibus pustularum scabiosarum.

Cicatrices post *ulcera secundaria* magnitudinem formamque relinquunt variam: primo adpectu tota cicatrix fere plana et quasi varie albide reticulata, quae retia formantur striis aut potius maculis filiformibus albidis, planis, mollibus. Interdum etiam harum striarum quaedam inveniuntur paululum elevatae, duriusculae, quatuor ad sex lineas Par. latae albiae. Color ac forma illius cuticulae, quae ab illis ramificationibus reticulatis circumdatur, varia, plerumque fusco-flava, plana, interdum depressa. Tota autem superficies undique punctis seu foveis parvis, rotundis, fuscis, plus minusve perspicuis obsita: quarum profunditas



## THESES.

---

I.

*Cicatrices non crescunt.*

II.

*Corii nulla regeneratio.*

III.

*Lienis gravissima functio in chylo parando continetur.*

IV.

*Magnetismus animalis in spasms summum remedium.*

V.

*Dispositio ad variolas non regeneratur.*

VI.

*Origo fistularum vesico-vaginalium rarissime ex instrumentorum obstetriciorum laesione.*

VII.

*Narcosin foetus secali cornuto a pariente sumpto nego.*

VIII.

*Dolores ad partum genuini uterique contractiones non idem.*

---

THESES

- I. Cerebrum non crescit.
- II. Cori nulla regeneratio.
- III. Laceratio epistaxis facta in cavo parvo continetur.
- IV. Magnitudo animalis in partu semper recedat.
- V. Dispositio ad canulas non regeneratur.
- VI. Origo fistularum vesice vaginalium variabilis et instrumentorum obstans non facit.
- VII. Nervorum factus secuti corio a partu sumpto nego.
- VIII. Dolores ad partum gerendi inter se contrarii non idem.

## V I T A.

Antonius Hecking, Schoenbergensis, natus sum anno huius saeculi septimo, patre Ioanne Baptista Hecking, medico practico et matre Anna Christina e stirpe Viené, quos adhuc vivos veneror. Fidem amplector catholicam. Primis literarum elementis natali loco imbutus anno MDCCCXXII Malmundarium petii, ubi per duos fere annos duce aestumatissimo A. L. Chapelle, olim Collegii Malmundensis principale, linguae Latinae atque Gallicae operam dedi.

Anno MDCCCXXIV mense Novemb. Gymnasium Trevirense, quod viris illustrissimis Prof. H. Wyttenbach, equite etc. et D<sup>re</sup>. V. Loers, directoribus floret, adii frequentavique per septem annos. Examine rite absoluto, et maturitatis testimonio instructus in almam litterarum Universitatem Rhenanam receptus sum anno MDCCCXXXI a Rectore t. t. Magnifico Guil. A. Diesterweg. Apud cl. Fr. Nasse t. t. ordinis medici Decanum spectatissimum medicinae studiosorum numero adscriptus sum.

Praelectiones, quas per quadriennium et quod superest, frequentavi, hae sunt:

### I. *Philosophicae*:

Introductio in philosophiam, logica et psychologia apud cl. van Calker. Physica experimentalis apud cl. a Münchow. Botanica generalis apud cl. Treviranus. Chemia experimentalis apud cl. G. Bischoff. Mineralogia apud cl. Noeggerath. Zoologia apud cl. Goldfuss.

Quibus eruditus examen philosophicum rite superavi.

### II. *De arte medica*, quibus interfui, sunt haec:

Anatomia comparata cerebri apud cl. Mayer. Anatomia generalis et specialis apud cl. Mayer et Weber, qui etiam in cadaveribus secandis per annum duces mihi fuerunt et moderatores. Anatomia comparata, situs viscerum et ratio corpora mortuorum incidendi apud cl. Weber. Encyclopaedia et methodologia, Physiologia, Pathologia generalis apud cl. Müller. Pathologia specialis, syphilis apud cl. Albers. Therapia generalis, expositio libri Hippocratis de decoro et

honestate medici ore latino, cholera asiatica apud cl. Harless. Anatomia pathologica, fracturae et luxationes, doctrina instrumentorum chirurgicorum apud cl. Nasse. Therapia specialis, morbi mulierum apud cl. Naumann. Chirurgia, operationum chirurgiae praecepta, morbi oculi humani, anatomia chirurgica et ars fascias applicandi apud cl. Wutzer. Ars obstetricia, morbi mulierum, doctrina instrumentorum obstetriciorum apud cl. Kilian. Therapia generalis et specialis, physiologia et pathologia cerebri apud cl. Fr. Nasse. Pharmacologia, formulare, medicina forensis et epizootica apud. cl. E. Bischoff.

In clinico propaedeutico per semestre, in clinico therapeutico per tria semestria cl. Fr. Nasse; in clinico obstetricio, et in exercitationibus in phantomate instituendis per annum cl. Kilian; in clinico chirurgico, et ophthalmiatrico per annum auscultanti, et per semestre practicanti, et in operationibus in cadavere instituendis cl. Wutzer mihi duces fuerunt.

Quibus viris illustrissimis gratias refero quam maximas.

Prælectiones, quas per quadriennium et quod superest, frequentavi, haec sunt:

I. Philosophicæ.

Introductio in philosophiam, logica et psychologia apud cl. van Galder.

Physica experimentalis apud cl. a Münchow. Botanica generalis apud cl. Trevisan.

Chemia experimentalis apud cl. G. Bischoff. Mineralogia apud cl. Noeggerath.

Zoologia apud cl. Goldruss.

Quibus eruditus examen philosophicum rite superavi.

II. De arte medica, quibus intentus, sunt haec:

Anatomia comparata cerebri apud cl. Mayer. Anatomia generalis et specialis apud cl. Mayer et Weber, qui etiam in cadaveribus secundis per annum duces mihi fuerunt et moderatores. Anatomia comparata, situs viscerum et ratio corporis mortuorum incidendi apud cl. Weber. Encyclopaedia et methodologia Physiologia, Pathologia generalis apud cl. Müller. Pathologia specialis, syphilis apud cl. Alberts. Therapia generalis, expositio libri Hippocratis de decore et